

19. *duj.* 25

DISSERTATIO PHILOLOGICA 'ΕΚ ΠΤΥΡΩΣ ΕΙ STOICORUM,

Qvam
DIVINA FAVENTE GRATIA
Consensu Celeberrimæ Faculta-
tis Philosophicæ in Florentissimo
ad auram Lycae.

SUB PRÆSIDIO
VIRI Celeberrimi,
Dn. Mag. D A V I D
L U N D /

L: Orientalium Professoris Regii & Ordinarii
Exercitii gratia

Sobrie φιλολογίαν examini sicut
JACOBUS EKELUND / J.F.
Aust. Finl.

Ad diem 1. Junii Anni 1692.

In Auditorio maximo horis ad octavam
matutinis.

ABOÆ, Excudit JOHANNES WINTER,
Reg. Typogr.

VIRIS

b insignia in patriam & Ecclesiam merita,
in rem literariam studia, titulis, dignitatibus,
eruditione, inclitis atque memo-
rabilibus.

Admodum Reverendo atque præclarissimo,

**Dn: Mag: HENRICO
FLORINO,**

Ecclesiæ quæ Deo in ~~limito~~
colligitur, Pastori longe meritissimo, ejusdem-
que districtus præposito gravissimo, Patro-
no atq; benefactori meo, æterno
pietatis zelo suspiciendo!

Plurimum Reverendo arg_r Præclarissimo,

**Dn: Mag: JACOBO
S H A C /**

Ecclesiæ Biernoensis Pastori vi-
gilantissimo, ipromotori, promptissimo
mentis affectu colendo.



Nxia deliberatio, me suspensum te-
nuit, Patroni atque Domini, utrum
citra audaciæ notam possem, vestra
inter-

interpellare negotia, quibus studetis patria
prodesse commodis, sed vicit dubitationem.
Et timorem solitus vester frvor, cunctationem,
nominum vestrorum veneratio, quæ fluctuantis
animi mei assensum eo impulit, ut facerem
pagellas has nominibus vestris inscriptas pro-
dire. Certò enim mibi persuasum babui, fu-
turum ut candida fronte tenelli ingenii mei
fœtus acciperetis; Ingenue quidem fateor, in-
dignam hanc esse opellam quæ vestris nomi-
nibus inscribatur, nihil enim hic, præter simplicia-
tatem cum brevitate conjunctam, licet depre-
hendere: attamen cum multa me vobis debe-
re sciam; vel hoc modo animum vobis
obnoxium significare, consultum duxi. I-
pse vero cum in ruminazione hujus materie
eram constitutas, existimavi æquum esse,
illa quæ in ea captum ingenii mei superare
videbantur, religioso potius venerari silentio,
quam levi dicendi charactere exprimere, me-
mor istius Sallustii, Satius esse multa silentio
involvere, quam pauca de re grandi com-
memorare; Phormionem etiam Philosophum,
operose nimis de bello disquirerentem, delicate
irridebat, terror ille, Romanorum Hanibal. Haud
dissimilia ego, etiam exspectarem fata, si iis,
immorarer studiis, quæ puerilibus digitis tra-
ctari nequeunt. Vos autem Patroni optimi,
bene

benevolentia atq; candore, accipiatis simplex hoc
scriptum quod in devote atque perpetuae obser-
vantiae documentum, cultus & honoris monumē-
tum, in manus vestras trado, magisq; inspiciatis
quæso offerentis animum, quam rei oblatæ digni-
tatem. Ego cum huic favori, obsequiis ac officiis o-
mnibus, semper respondere conabor, calidis etiam
votis Deum venerabor, dignetur clementissime,
producere vestrum vitæ terminum, in longam
annorum seriem adeo ut vivatis, vitam æthe-
reis sedibus honoranda, in hic vero annalium per-
ennitati consecrandam, in Dei gloriam, pa-
triæ emolumentum, atque Ecclesie Dei incre-
mentum.

Quo in voto manet

Qui nominum vestrorum est hu-
milis atque sincerus cultor

JACOBUS ERICUND,
J. F.



IN NOMINE JESU!

Membr. I.



Eteres qvos posteritas
æterna veneratur memoria
sapientiæ proceres, albo cal-
culo hoc signarunt dicterium, *Nihil tam*
absolum est, quod non dicendo fiat pro-
babile. Qvo intendebant, etiam res fi-
ctas, seu potius fœtus corrupti cuiusdam
cerebelli, à multis applausu accipi. Tanta
enim hujus ævi est perversitas, ut omissis
istis rebus, quas robusta commendat veritas,
homines sectentur tales conceptus, qui nul-
lam sive veritatem, sive utilitatem, comi-
tem habent, in hoc unice novitati studen-
tes; unde sicut Ixion pro Junone nubem,
in amplexus recepit, ita illi, pro verâ erudi-
tione, cuius caput veritatis cognitio, spissas
captant ignorantiaæ tenebras: Hinc est,
quod tot perversæ opiniones, insertæ repe-
riantur Doctorum scriptis, Suum enim
cuique pulcrum, suum cuique probabile,

Hinc est inquam quod non pauci, in errore eo usque sunt progressi, ut tales res, ausi sint defendere, tales prositeri, quæ à testimoniis, S. Sacræ, atque ab experientiæ lumine longissime aberrant. Inter alios Stoici; qui tamen suæ philosophiæ, infinita tribuunt elogia, extra veritatis limites sese abripi passi sunt, eo quod varia excogitarunt, quæ illis visa sunt probabilia, imo & apodictica, sed quæ penitus pensitata, veritati non sunt consentanea. Ut nunc reliqua taceam, etiam illam doctrinam amplexi sunt, atque divulgarunt, qvæ aliam eamque redivivam, post exustionem hujus universi, tribuit mundo faciem, qvam illi doctrinam adeo veram habuerunt, ut certis verbis ac modis eam tradere non dubitaverint. In hoc autem argumento, qva ratione progressi sint, qvid senserint, & unde suas opiniones hauserint, brevibus mihi animus est investigare, prout ex Doctorum scriptis res se mihi offert, atque ingeniolis vires eam possunt explicare.

Membr. II.

Antequam ulterius progredior, necessum duco ratione materiae susceptae, paucis de

de vocabulo ἐκπύρωσις agere. Quantum ad Etymon, natales illa debet Gr̄c̄is, venit enim à verbo πῦρ, inde verbum ἐκπύρωσις incendo, in ignem converto, unde ἐκπύρωσις, conflagratio, sive exustio, quæ vox nostri est popositi, denominationem sortitur. Aliena ideo est a nostro proposito, vox Φθορὰ interitus, quia non mundi interitum intellectum volunt Stoici, tota materia priori abolita, sed mutationem tantum, alio nomine ἀποκατάστασιν seu redintegrationem vocandam, quæ illis ansam dedit, varia de magno anno Platonico, fovendi sententiarum divertia, qui παλιγγενησαν cum hominum, tum ceterarum rerum omnium pulchram & veluti juvencensem faciem introduceret. Hanc ἐκπύρωσιν non inepte etiam aliquis μεταβολὴν appellaret, seu innovationem, & mutationem, quæ æterna esset, per vices temporum rediens, ad omnia collapsa, effœta, atque confusa, purganda atque instauranda.

Membr. III.

Tta pensitato verbi hujus Etymō, condūcit ut ad hanc ipsam doctrinam pro-

pius transgrediamur; Stoici vero in hoc articulo, dupliciter de mundo sentiunt, alii illum æternum esse ajunt, quidam corruptibilem, Sic enim differit, Arius Didymus apud (a) Lipsium, καὶ τὸ ἐκ πάσης τῆς θείας ποιὸν, καὶ τὸ τὴν Δικόσμησιν τὴν τοιαύτην καὶ Διατάξιν ἔχον. Διὸ κατὰ μὲν τὴν ἀροτέραν ἀπόδεσιν αἰδίου τὸν κόσμον αναί Φεῖσι, κατὰ δὲ τὴν Δικόσμησιν γεννητὸν καὶ μετάβλητὸν. Ex quibus ostenderunt, ex sua sententia mundum ex parte esse corruptibilem, ex parte immutabilem, sive æternum, Huic quoque sententiæ album addit calculum ipse Philo Judæus, in tractatu de immortalitate mundi, dum in hæc verba erumpit, Potest secundum stoicos mundus aliquis æternus dici, aliquis corruptibilis, iste quidem juxta ornatum ut nunc est, ille autem qui post Exustionem iterum nascitur certis periodis nunquam desitur. Istam vero sententiam, quæ mundum peritum affirmat, juxta Stoicos, expressit Laertius hoc sensu verborum: Placet iis (Stoicis nempe) corruptibilem esse mundum, quippe genitum ea ratione quâ solet, sensibus percepta. Cujus etiam

par-

partes corruptioni obnoxiae sunt, id & totū:
 Partes autem mundi tales (nam invicem
 assiduè mutantur) ergo & Mundus. Et am-
 plus, si qvid mutationem in deterius ad-
 mittit, corruptibile est, hoc facit mun-
 dus, nam exarescit & inundatur, Ex hac
 oratione rationes hæ quas & continet, ex-
 trahi queunt, pro corruptione mundi,
 1. quod genitus sit, 2. qvod partes suæ ad
 interitum vergant, atque occidunt, 3.
 quod & ipse mundus re ipsa mutatio-
 nem in deterius & admittat, & ostendat.
 Hæc argumenta an satis solverit Plato,
 dum illa convellere annixus est, nunc non
 possumus definire, sed *Physicorum Scholis*
 committimus resolvenda. Hoc tamen
 certum manet, totius hujus universi, ve-
 luti figura quadam ac typo, præludere in-
 teritui (quamvis internas corruptionis
 causas non agnoscat) rerum continuas vi-
 cissitudines. Nascuntur singula, ortum du-
 eunt, stant, florent, & in hoc ipsum qui-
 dem ut cadant, Nihil enim constans,
 pauca diurna admirantur mortales, in
 hunc sensum accipienda ea silone Poëta
 dicta:

- - Currit mortalibus ævum
Nec nasci bis posse datur.

Tum quæ Lucretius Cecinit,

b. Principio quoniam terrei *corpus* & humor
Aurarumqne leves animæ, calidique vapores.
Equibus hæc rerum consistere summa videtur
Omnia nativo & mortali corpore constant
Debet tota eadem mundi natura putari.

Ut autem eo faciliorem nobis in no-
stro proposito sternamus viam, præstat
ut ordine exponamus.

Quomodo, **Q**uando & **Q**uo
Fine, hæc contingat ἐκπύγωσις.

Membr. IV.

JAm ergo nobis progredientibus, occur-
rit, Quæstio pensitanda, quomodo hæc
ipsa fiet conflagratio, An scilicet medi-
ante æthereo igne, an absque ejus vi & in-
terventu? ad hoc concinne respondet
Celeber: (c) Lipsius, fieri Exustionem hanc
nec à solo igne æthereo, nec sine ipso,
eo enim temporis puncto, quo ipsa hæc
contingat conflagratio, sol & reliqua ar-
dentia

dentia siderā, calorem intendent, aēr de-
mum exarescet, humor collectus absu-
metur, & quæ natura antea temperabat,
ea tunc exasperabit, & extra leges mittet.
Ipse enim ignis Æthereus, ab alio ele-
mentari auctus, à Jove emitetur in re-
novatioem rerū omnium. Ipsum Senecam
Stoæ Sectatorem audiamus differentem
his verbis. (d) Cum advenerit tempus, quo
sese renovaturus mundus extingvat, viri-
bus ista suis sese cädent, & siderā siderī-
bus incurrent, & omni flagranti materia,
quidquid nunc ex disposito lucet, ardebit.
Hanc etiam suam assertionem confirmat,
sequentibus argumentis ductis à facili,
Nihil enim difficile est naturæ ubi in suum
finem properat, ad originem enim re-
rum parce utitur viribus, sed subito ad
ruinam, totoqne impetu venit, qvam
enim longo tempore opus est, ut ad pu-
erperium perducatur infans, qvantis labo-
ribus adolescit, at absqve ullo negotio
solvitur, Urbes etiam constituit ætas,
hora dissolvit, momento fit cinis, diu sil-
va. Pulcerrime hæc singula ab ipso af-

feruntur, ita ut legens, verborum concin-
 nitate, in admirationem rapiatur. Qui-
 bus intendit igni illud futurum exitium,
 cuius vis atque indomita potentia, ha-
 ctenus latuerat omnibus rebus inclusa,
 jam vero ad mundi purgationem, at-
 que renovationem, educenda est atque
 producenda. Magnam sane in exustione
 mundi, igni tribuerunt veteres poten-
 tiā, si Philoni Judæo de hoc differenti,
 fides erit adhibenda, ille quippe Deum
 auctorem, causamque mundi facit, sed
 non interitus, cuius causam vult insitam
 illam ignis potentiam, post longa tem-
 porum intervalla omnia in sece resolven-
 tem, notum enim in omnibus mistis
 corporibus etiam materiam igneam re-
 periri, ut in arboribus, lapidibus, &c. Quæ
 autea non potuerat sece exercere, ob abun-
 dantiam aliorum elementorum, quæ de-
 dum ad mundi interitum, ampliores vires
 nacta, sece exseret, vires capiet, omnia po-
 pulatur, atque in nihilum redigit, & tum
 demum omnis essentia, in ignem veluti in
 semen convertetur, atque hoc fere tenore
 explicat Stoicorum scita Seneca. Qualis
 autem

autem ille ignis sit futurus, purus, vel mix-
 tus inter sece disqvirunt. Lipsius ignem
 mixtum facit, qui omnia oculis obvia, in-
 cendio atque conflagratione purgabit,
 Purum autem illum dicit, qvi peracta
 exustione, omnia iterum ex se gignet, atq;
 formabit, constat itaque ex illorum sen-
 tentia, igitem in se omnia resoluturum,
 iterumque repositurum, vult etiam hoc:
 Numenius, dum dicit, omnia evanescere
 & perire, post longissima temporum
 intervalla, in æthereum ignem resolutas.
 Hic de interitu omnium Rerum disqviri-
 rentes, sese nobis offerunt Stoici, illi e-
 nim omnes res corruptioni seu potius
 purgationi, obnoxias faciunt, præter ce-
 tera etiam Deos suos minores, quorum
 serie tota abundat Mythologia, deinde
 nec a corruptione exemptos volunt, ge-
 nios, animas, & quidquid demum præ-
 ter supremum Jovem invenitur, quem
 Seneca solum facit superstitem, illumque
 superesse omnibus rebus resolutis, mundo-
 que Diis minoribus in unum confusis, qvi-
 bus intendit, Lunam, Solem, sidera, omnia-
 que oculis atque sensibus obvia, perire,

Jovemque ea sibi assimilare & in se vertere. Per hunc Jovem quidem intellectum volunt, purissimum illum ignem, in quem omnia demum abirent, & iterum ab illo resurgerent; sic enim Seneca.

(e) *Cæli regia concidet,*

Certos atque obitus trabet,

Atque omnes pariter Deos

Perdet mors aliqua & Chaos.

Omnia ergo pereunt, unico Jove excepto, quem Laertius de Deo sic describit: Qvod sit incorruptibilis atque ingenitus, conditor hujus universi, absumentis in se omnem essentiam, iterumque ex se generans, unde sumit disqvirendi occasionem Lipsius, quo pacto idem ignis omnia perdat, & iterum generet, ipse vero objectum diluit, quod idem ignis emissis seminibus, ex sese, omnium rerum, ad renovationem hujus universi faciat, quod etiam Plutarchus statuit, qui ipsum ignem semen mundi dicit, qui adjutus ope aquæ, novam mundi introducat faciem. Hinc Stoici in eam sunt delati sententiam, quod ipsam combustionem diluvium sequeretur, cuius ope res

(e) *De interitu Deorum.*

res exustæ, sive irrigationem sive fœcunditatem reciperent. Verba afferam Julii Firmici ex ipso Lipsio, qvibus hæc firmat, ita vero inquit, Ecpyroſin Cataclyſmus sequitur, nulla enim alia re, res exustæ potuerunt renasci, nec ad pristinam faciem formamque revocari, nisi commixtiones atqve concretus pulvis favillarum, omnium genitalium seminum, conciperet fœcunditatem, ita ille. Qualia cunqve hæc autem sint, quæ in materiæ præsentis expositionem hic attulimus, licet cum illis consentire non possumus, multum tamen illorum iudicio adscribimus, ob facilitatem in inveniendo, constantiam in profitendo, atqve astutiam sive potius rigorem in defendendo.

Membr. V.

Ad quæſtionem quando hæc ipsa contingat εκπύρωσις? Respondet Seneca cum Deo vifum fuerit, ordiri meliora, atque vetera finire, per Deum teste modo citato celeberrimo Lipsio hic intellectum vult fatum illud, quod nunc à nostris Stoicis appellatur, hoc autem lo-

co fatum faciunt legem mundi seu prædefinitum & inevitabile quoddam statutum, in hac etiam significatione, hunc ipsum terminum deprehendimus in scriptis Aristotelis, apud Eusebium, qui scribit, per fatalia atque prædefinita tempora mundum exardescere, hæc eadem sententia multis ejus sectæ hominibus cordi fuit, hæc etiam Ovidio placuit qui usus hoc verborum apparatu, fatalem atque à fatis prædefinitum adscribit mundo interitum.

*Ecce quoque infatis reminiscitur a fore
tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia
Cœli,
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.*

Plurimi tamen interitum hunc mundi sive exustionem ad magnum annum Platonicum referebant, de quo diversis sententiis repleti sunt codices antiqui, eum vero (annum puta) verbis ex Censorio allatis ita depingit Lipsius. *Est præterea annus quem Aristoteles maximum potius quam magnum appellat, quem solis & luna, vagarumque quinque stellarum orbes*
confi-

conficiunt, cum ad id signum, ubi quoniam simul fuerant, una revertentur, cuius anni hiems est cataclysmus, quem nostri diluvium vocant, Æstas autem ἐκπύρωσις, seu mundi incendium, nam his alternis temporibus, mundus tum exaque scere tum exignescere debet, In hac re etiam sibi consentientem habet Senecam dicentem: (f) Licentia tamen hæc undis non semper erit sed peracto exitio generis humani extintisque pariter feris, in quarum ingenia homines transierunt, iterum aquas terræ absorbebit, & rejectus e nostris sedibus in sua secreta pelletur oceanus, antiquus ordo revocabitur, omne animal hoc tempore ex integro generabitur, dabiturque terris homo inscius scelerum, & melioribus auspiciis natus. His allatis intendere voluerunt, post decursum certum annorum, futuram, cum sidera ad eundem locum veniunt, apocatastasin sive eversionem rerum atque banc esse magnum Annum, iterumque post illum fieri Apocatastasin, sive redintegrationem, & rerum omnium restitutionem. Qvis autem

(f) Conf: ad Marc, cap. ult. L. 3.

rem ille magnus annus fuerit, & post
 quot annorum millia, in mundum esset
 introducendus, illud non liquet, varia
 enim de hac re sententiarum divertia, &
 sane tot diversæ opinones, legentis ani-
 mum tenent suspensum, atque confun-
 dunt; ut mirum sit tantos viros, qves
 propter insignem suam sapientiam, adhuc
 posteritas veneratur, in tam erroneas opi-
 niones sese abripi passos. In Julio Firmico
 hæc licet notare verba, quibus negat,
 facili conceptu vel ratione, doctrinam
 hanc de magno Anno posse explicari,
 ipse ita inquit. (g) Nec eo usque sese potest
 intentio humanae fragilitatis extendere,
 præsertim cum trecentorum millium an-
 norum major Apocatastasis, per Ecypyro-
 sin aut cataclysmum perficiatur, his enim
 duobus generibus Apocatastasis fieri con-
 sivevit, nam exustionem diluvium sequi-
 tur, Nulla enim re alia possunt res exustæ
 renasci, vel nulla alia re ad pristinam fa-
 ciem formataque revocari, nisi admixtio-
 nes & concretus pulvis favillarum, o-
 mnium genitalium seminum collectam

con-

(g) *Jul. Fir. de Geniturâ mundi*

conciperet fœcunditatem, sic ille sed
 quam caste, hoc candidi lectoris censuræ
 submitto, quidam hunc annum quinde-
 cim millibus definiunt, Orpheus ad cen-
 tum millia & viginti annos eum transfert,
 Cassander ad Sexies centena millia.
 Quidam statuunt fieri annum hunc
 κατὰ τεχνοδιάς τινας τὰς μεγίστας, quidam
 κατὰ τεχνοδιάς ἀπείρους, Ex his allatis cui-
 que constat unum præ altero longius esse
 in vanitatibus progressum, vanum enim
 & sane ineptum est, tales res vel definire,
 vel statuere, quas existere nulla affirmat
 ratio, nulla autoritas dictitat, nulla
 ostendit experientia. Chaldae etiam co-
 ineptiarum proiecti sunt, ut exponere
 non sint veriti, statum & cursum side-
 rum ejus temporis quo hæc singula
 eventura. Unde etiam Conflagrationi
 certum tempus adscriperunt, scilicet cum
 omnia sidera in Capricorno convenirent,
 inundationem futuram, cum vero idem
 siderum numerus in cancro concurreret,
 sequuturam ecpyrosis, & sane appositè
 hæc dicta quis non affirmet, cum respe-
 ctus habebatur ad signa æstiva atque hye-

mantia, scilicet dominantibus signis Aestivis Ecpyrosin de qua nobis hic sermo consequitur, cum vero ad signa hyemantia, regiminis ordo devolveretur, nunc futurum diluvium, tempus enim hyemale, promptius est ad effundendam aquam, quam aestatis; Diluvium de quo jam modo diximus, eum in finem excoegerunt, ut ejus opera res istae quae incendio erant debilitatæ, renascerentur, motum enim in omnibus terræ fructibus, impossibile esse aliquid vel renasci, vel germinare nisi crebro irrigetur, aquarum aspersione. Sed singula quæ in hac paragapho de Magno Anno diximus, ea magis ad materiæ nostræ explicationem, quam rerum ipsarum veritatem hic attulimus.

Membr. VI.

Hactenus opera simplici occupati fui-
mus in exponendis, duobus prioribus
discursus nostri membris, nunc restat,
ut tertium breviter enodemus, scilicet
quo fine Stoici nostri, hanc suam ἐκπύρωσιν
futuram docuerunt, ipsi omnia ea de
quibus in prioribus egimus, eum in finem
pro-

proponunt, ut renovetur atque innovetur, totum hoc universum.

Qvod ex antea allatis testimoniis liquido constat, ita finis eandem esse rationem contendunt, nihil enim aliud intendebant, quam ut totum hoc universum, ex integro nascetur dareturque terris homo inscius scelerum atque melioribus auspiciis natus, de hoc ortu rerum omnium, cum primis hominis varia sunt sententiarum divortia, quidam enim voluerunt, omnes res ex igne, in quem resolutæ fuerant, renasci, hinc etiam ignem semen dixerunt omnium rerum, qui omnia in se reciperet, atque iterum reponeret. Quidam etiam illorum intentum profundum delapsi sunt errorum, ut statuerint ex Cœlo semina delapsura, ex quibus tum homines, tum res reliquæ producendæ, pristinæ redderentur integrati, sic enim Virgilius.

*Magnus ab integro Seculorum nascitur,
ordo,*

*Jam redit & virgo, redeunt Saturnia
regna,*

Jam nova progenies Cœlo delabitur alto.

B

Sed

Sed de his in superioribus prolixius egimus, idcirco brevitati consulentes hic pedem figimus.

Mem. VII.

Fuerat hactenus mihi cura, in harum rerum consideratione versari, in quantum mihi opem tulere monumenta illa, quæ de Stoicorum doctrinis sunt consignata nunc autem consultum videtur indagare unde hæc & talia hauserint Stoici, quia videntur eandem sententiam cum quibusdam Christianis fovere, Inveniuntur enim Doctores inter eos qui ajunt, totum universum per conflagrationem renovari potius, quam planè destrui, quod etiam dogma ex scriptura sacra confirmari posse asseverant, Horum pertexere catalogum nolo, illud tamen noto, quod in eo a mente Stoicorum abiverunt, quod mundum immutandum censuerunt secundum qualitates, non per causas naturales uti Stoici, sed per divinam potentiam, atque supernaturalem vim, Verum unde tamen diducenda hæc Stoicorum, atque aliorum Philosophorum placita, quibus mundum juxta fatrum leges omniaque mortalia aliquando peri-

perire debere incendio affirmarunt, extra civitatem Dei constituti erant, & tamen talia protulerunt, quæ etiam verbo Dei continentur, καταστέοεις voce utitur ipsa Scriptura in Actis Cap. 3. v. 21. Mundum autem, al quando conflagraturum docet Petrus 2. Ep c. 3. v. 12. Quamquam satis superque pateat, hæc non usque quaque convenire; sed in pluribus a vero aberrare, interim tamen vestigia haud obscura quilibet deprehendit, ejusdem rei quam sacræ literæ proponunt, existimamus igitur illos veritati litasse, qui opinabantur hæc & similia, ipsos stoicos atque alios Philosophos Ethnicon accepisse, ab Hebræis, & sacro codice, sed quæ omnia ab illis pessimè sunt mutilata, detorta, ac depravata, atque ne quis miretur quomodo illa habuerint. cum extra Ecclesiam erant constituti, dici potest, gentiles, vel ex fama, vel traditione, vel commercio, cum populo, Dei, aut sanctorum Bibliorum dispersione hujusmodi didicisse, ita tamen integra, diabolus non permiserat pervenire ad aures Ethnicorum, sed misere corrupta, ut il-

lis miseris illuderet; Exemplum simile detorti loci Scripturæ, in fabulam, videtur illud qvod de vulcano Poëtae fingunt, cuius originem non incommode referre possumus, ad illa qvæ sacræ literæ, de Tubalcaïno referunt. Vulcanus enim ab illis describitur ut Faber & Malleator, talis vero erat Tubalcaïn, qui primus inventit artem usurpandi ignis, & res metallicas. Nomina etiam si vel parum litteræ hic transponantur, facile conveniunt, & rem fere eandem significant. Ejusdem quoque generis est fabula phaëtonis quæ Poëtis nata creditur, a nonnullis ex historia sacra Heliæ, nam & hujus igneum currum, expresse nominat scriptura, quæ verosimilis ratio, ideo habet locum, quia exustio phaetonis, ad Heliæ tempora quadrare putatur, sed in fabulis conferendis, eum Historia scripturæ Sacræ, illud judicium celeberrimi Tomasi, omnino observationem mereri, putamus, nempe, *Qvod innotuerit gentilibus, Historia illa humilior, ac depressior scripturæ, ex qua etiam non pauca, in sua scripta, transtulerunt; sublimiorem ve-*

ro ejus partem quæ est de mysteriis, iis
 fuisse ignotam, quia interfuit Sathanæ, ne-
 pateretur suorum auribus illabi sublimiorem
 illam & bonæ frugis plenissimam partem,
 Hic vero ita rem definit idem Tomasi-
 us, Omnino videtur hoc à nobis po-
 stulare, sacris dogmatibus debita venera-
 tio, ne qvoties, ea cum fabulis Pagano-
 rum, qvæ sane maximam partem oppido
 spuria sunt, componimus, toties conta-
 minemus, aut exponamus ludibrio. Ca-
 vendum ergo non modo ne gentiles fa-
 bulas, interpretemur e mysteriis fidei,
 sed & ne his mysteriis quæramus aliquid
 ornamenti (qvod rectius indignum decus
 appellavero) ex ineptiis ejusmodi, qvales
 sunt, quæ Christum ubi Portas inferorum
 dejecit, Plutoni Stygio Poëtarum DEo,
 ubi Spiritum Sanctum in Apostolos effu-
 dit, Prometheo, qvi ignem Jovi suffu-
 ratum, fuisse scribitur, comparant. Hæc
 ille. Jam quid hic tandem ex fide te-
 nendum sit, de conflagratione, mundi,
 ejusque fine, nobis non licet in inferio-
 ribus subselliis exponere, hujus qvippe
 argumenti declaratio ex superiori Theo-

logorum Cāthedra nobis est expectanda,
Tantum voyemus, ut hæc & alia ejusmo-
di hic ita expendere possimus, quo fer-
re queamus præsentiam Justissimi Iudicis
apparituri cum luculentum incendium hanc
machinam extremo die, penitus abolebit,
interea illa consideremus.

*Et Vite & mortis brevis est vox ite, ve-
nите,*

*Dicetur reprobis ite, venite bonis,
Quantus erit luctus cum judex dixe-
rit ite,*

*Tantus erit Fructus cum dixerit ille ve-
nите.*

SOLI DEO GLORIA:



Ingenio, Virtute ac Eruditione

Maxime conspicuo JUVENI,

Dn. J A C O B O

E K E L U N D

Amico honorando, insigne Studiorum
specimen edenti in publicum, hac sincera
 $\pi\varrho\sigma\Phi\omega\eta\varsigma\tau\iota\varsigma$ gratulari volui:

 Um JACOBE / acris E K E L U N D
sacrate Minerve,

Unica Spes patriæ deliciumque
domus,

Pulpita concendens doctorum celsa sophorum,
Eloquio grato, differis atque doces

Quo fato pereunt tum cœlum, saltus Gundia,
Astra poli, & Mundi machina tota ruit;

Entheus ingenii sane ni fallor acuti
Judicique tui cernitur inde Vigor,

Jure etiam Pallas Spondet condigna brabea,
Ac curas magno pensat honore tuas;

Ast ego quid faciam? tantos Tibi gratulor
ausus,

Atque piis precibus prospера cuncta precor!
Perge bonis avibus! Dominus Deus alta pe-
tentem

Dirigat ipse animum Syavis amice Vale!

ERIC. TAMMELINUS.

JUVENI

*Præstantissimo ac ingenii dotibus supra
etatem felicissimo,*

Dn. JACOBO JACOBI

ÆKÆLUND /

Multis annis familiarissimo:

Mασῶν ἐσί Φιλὸς νῦν ἀθλητὴς ἐν Ἀγρ.
νᾶις,

Αὐδρεῖον, τ' ἴακωβ ἄξιον ἀινέσεως:
Θησαυρὸς διδαχῆς ὑπέρσημός σὺ ἀεὶ ἀνδεῖ,
Τειγαρῶν πληροῖς κάιγε σε ἀμβεσσίας.

gratulatur

JOHANNES ROGBERGIUS

